Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis trigeſimâ Decembris.

M. CLAUDIO JOANNE-BAPTISTA DODART, Doctore Medico, Præſide.

Eſt-ne cerebrum, omnium corporis functionum principium?

VITA hominis ſenſu, motu, intellectione, memoriâ, voluntate conſtat. Servatur humoribus ſpiritibuſque per totum corpus circumfluis. Humores & ſpiritus perpetuò diſſipabiles inſtaurantur alimentis. Senſus per ſolum cerebrum; motus partium, à ſolo cerebro, humorum, à cerebro per cor; procreationis incipiendæ, perficiendæ, alendi, augendi, propagandi corporis principium cerebrum per ſuas appendices, id eſt, per viſcera glandulaſque omnis generis quibus, influxu ſpirituum, afflatu fermenti, vigorem omnem conciliat; ut illins in totâ vivendi medendique ratione ſumma habenda ſit ratio. Intelligere, meminiſſe, velle, non à corpore, non in corpore, ſed in animo; non tamen, quamdiu vivitur, ſine corpore, etiam dum ſine imaginibus, æterna & ab omni corporis concretione disjunctiſſima contemplatur. Corpus tardare poteſt intelligentiam, impedire poteſt; omninò coërcere, aut ulla ex parte juvare non poteſt. Senſus non à corpore, non in corpore, ſed in animo: non tamen ſine corporis commotione, quamdiu corpore concluſus eſt. Commotio, ſenſus non cauſa, ſed occaſio. Motus ſpontaneus totus eſt in corpore, totus fit per corpus, non ſine mentis imperio, poſt mentis imperium, non per hujus imperium, quod motus occaſio, non cauſa. Sola motus cauſa, non conjunctio mentis cum corpore, nec hujus imperium in corpus, à quo quoſdam accipit impetus: ſed vis inſtitutionis divinæ, qua ſancitum eſt ut quamdiu mens in corpore tenetur tanquam in tabernaculo, tamdiu hoc ad nutum movere, agere, circumferre poſſit. Hujus legis autor Ille Ipſe, qui res toto genere diſſitas, alteram immortalem, quia incorporea, ſimplex; alteram interituram, quia multiplex, admodum diſſipabilis, atque ideo tum internis, tum externis injuriis oppoſita, conjunxit in unum animal, hominem. An muſculi omnes ad nutum moventur ſive vitæ neceſſitate, ſive conſuetudinis lege motus elicitur?

CORPUS ſolum ſenſu percipitur, non ſola ſpecies corporis. Senſus omnis quidam tactus. Imago ſenſibilis, motu quodam à corporibus externis impreſſa, corpus humanum totum tentat, ſenſorium præter cæteras partes maximè commovet, per ſenſorium nervos, per nervos ſpiritus, per ſpiritus cerebrum. Ita & lux per ſe, & colores omnes, per lucem refractam, reflexam, æque aut veri aut apparentes, feriunt oculos; aures aëris undulatio placida, aut arguta vibratio, aut exploſio vehemens, quibus & totum corpus afficitur; nares odorabilium effluvia; linguam ſales ipſi; cutim ipſa corpora, aut aer commotus. Oculorum, aurium, narium, linguæ, cutis affectiones cerebrum commovent; quod, motum ſuſcipit quidem, at non percipit; quia corpus eſt. Corpus moveri poteſt, pati, dividi; motum aut vim percipere, id eſt ſentire non poteſt. Solus hoc poteſt animus, idque vi inſtitutæ cerebri commoti in animum impreſſionis. Magno miraculo; cum imago impreſſa corpori nihil aut perparum habeat ſimilitudinis cum his per quæ eſt impreſſa & adverſa habeat multa in viſione: præterea autem ſenſus animi ab impreſſione corporeâ non minus differat, quam rerum incorporearum ideæ à verbis, eas, humanâ tantum inſtitutione, ſignificantibus. Cerebrum commotionis meta ſedeſque eſt, non ſenſus principium, quod in animo totum eſt ſentiente per corpus ut intermedium, non ut inſtrumentum, niſi ex inſtitutione. At à corpore animum affici tam eſt incomprehenſibile quam ſolâ voluntate mentem afficere corpora. Sejuncta an conjuncta, remota an proxima, perinde eſt. Non ergo cerebrum ſenſus principium, nec doloris voluptatiſque ſedes. Nihilo tamen minus, ſolum hoc inter corporis partes initium ſentiendi, rerum externarum quaſi internuntius, nomenclatorque, quamdiu valet, cum nervis; quorum nullum eſt officium ad animam, niſi tranſmittendæ cerebro externæ impreſſionis.

UT ſenſus à ſpiritibus ab ambitu ad cerebrum compulſis, ita motus ab iiſdem à cerebro per nervos ad ambitum erumpentibus. Spiritus à cerebro (quod non glandula, ſed glandularum agglomeratarum innumerabilium aggeries) ex ſanguine colato per tubulos minutiſſimos, qui cruoris globulos excludunt. Hos ſpiritus inſiti vi fermenti facit cerebrum, diffundens quaquaverſum per nervorum pluſquam capillarium colliquias, quarum plurimæ ad viſcera derivantur, non ad motum, imò ſæpe nec ad ſenſum. Omnis motus à muſculis aut muſcularibus fibrillis ſolo ſpirituum affluxu dilatatis, atque pro dilatationis modulo contractis. Paucorum ſpirituum acceſſione res agitur in carnibus ſpiritu jam turgentibus & ad equilibrium contentis. Spiritus, ſive illi halitus quidam, ſive liquor ſubtiliſſimus, ultrò citròque commeare faciles, tantò efficaciores quantò tenuiores. An ſubtiliores in vaſtioribus animalibus? Certè hos quadam virium immenſitate pollere neceſſe eſt, à quibus movendi ſunt muſculi ubique prope ad articulum & centrum motus affixi, locum ad facilitatem iniquum, ſed ad motus citos magnoſque percommodum. Hac arte perpauci ſpiritus, corpore debiles exileſque ac prope evanidi, ſed tantò efficaciores, breviſſimo tempore maximos motus edunt; divinâ mechanicâ, incredibili & certâ facilitate præſtante, quod nuſquam humana præſtitit. Liquorem tenuem, & impetum quaquaverſum à cerebri caſtello facientem, quæ cauſa coerceat moderetur ve; quibus valvulis dimittantur ſpiritus catulientes, admittantur reflui; quibus inſtrumentis valvulæ, ſi quæ ſunt, in uno tubulo diverſæ adverſæque pandantur viciſſim atque contrahantur in alternis adverſorum muſculorum motionibus; quibus ſint diſpoſitæ ſtationibus; quibus hæ muſculis aut fidiculis ducantur: magnum naturæ myſterium, nec facile revelandum. Quanto majus & abſtruſius eſt hæc fieri ad nutum creatæ mentis, quæ omnia motus inſtrumenta funditus ignorat in omnibus penè hominibus. Hæc omnia preſtari tam implexis, tam ſubtilibus inſtrumentis; nec eo pacto corporis tantum proprii pondus plus centum librarum moveri: ſed inſuper trecentarum ac plurium librarum pondera ſuſtolli ad ſolum nutum mentis creatæ, quæ cogitatione contentiſſimâ, vehementiſſimâ voluntate ne ſtipulam quidem movere poteſt, tam eſſet impoſſibile quam incomprehenſibile: niſi perpetuò juberet hæc fieri, animumque immenſæ ſuæ poteſtatis aliquatenus participem faceret Is, qui *appendit Terram ſuper nihilum.* Non ergo animus motus principium ſed occaſio; cerebrum autem motus principium, mentis imperio ſubditum.

UT vita ſenſu motuque partium percipitur, ita humorum motu perpetuò continuato ſtat, interpellato perit, qui perpetuus eſſe non poteſt niſi circulo. Hujus principium cor, muſculus ſimul & alveus. Hic ſphincteris inſtar cochleati, non ſanguinis officina non ſcaturigo, ſed influentis receptaculum, ſuſcepti mactra, quaquaverſum diffundendi promptuarium, antlia mirifica, adſpirans, impellens, eodem ſinu admittens remittenſque, ipſa ſibi embolum pellendo ſanguini, dilatatur non ſponte ſed aliena vi auricularum, ut auriculæ venarum impulſu, quamquam & partim ſua vi per ſanguinem refluum quem pellit, quem totius corporis muſculi contractione tum voluntariâ, tum naturali compellunt. Hoc motu ſic ſtat vita, ut ab eo tota ſit, quæ dicitur vis facultaſque vitalis. Ut vita ſine cordis motu, vel nulla, vel breviſſima, ſic motus cordis nullus niſi à cerebro ſibi cæteriſque partibus providente per partem, inter miniſtras quidem principem, ſed tamen cerebri miniſtram. Perturbationes animi, maximè quæ ad tutelam vitæ pertinent, quales timor, ira, cor percellunt, ſed perculſo cerebro, & ejus impulſu cor exagitante; ſanguinis curſum tardant incitantve, ſed vel cordis motu mutato vel ſanguine; nimirum exploſis ſubitò ſpiritibus in cordis carnem, & in ſanguinis ac ſeri canales, aut iiſdem revocatis per propagines nerveas, quæ in appendices cerebri, ſanguineas albaſve, numeroſiſſimæ deſinunt.

UT ſolus chylus ſanguinis materia, ita à ſanguine humores præter chylum omnes; qui ſunt tam numeroſi quam partes publicæ, uno corde excepto; fortè & his numeroſiores. Sanguis à ſe ipſo. Hic, fermentum, quatenus cruore & ſero conſtat omnium princeps; niſi prius eſſet quod in cor & ſanguinem à cerebro per nervos influit. Ita, ſanguinis fermentum, fomes eſt vitæ non conſtituendæ ſed continuandæ, nec ſponte effervescit, ſed ſpiritibus à cerebro ſubmiſſis motum nanciſcitur. Horum auxiliis ſibi ſufficit, ſeque propagat, perpetuâ fermentorum lege dum his admiſcetur nova congener materia ad effervescendum apta. Hæc chylus; cujus officinâ ventriculus per glandulas quibus ſternitur; atque adeo ventriculus ſanguinis ſcaturigo per chylum, ſine quo vita brevis, non tamen hebdomadaria, niſi pueri. A primâ ſanguinis in embryonis germine primulùm ſe explicantis ſtillâ, tota paulatim ſuccrevit in grandi perfectoque viro ſanguinis moles, ut à ſcintillâ incendium. Ab ea quaſi fomite, qui accenſo igne ſponte evaneſcit, eo ipſo quod fomes eſt, tota vitalis flamma, quaſi tæda per manus tradita aliis ſubinde accenſis totum ævum traducitur. Hæc calidum, verè innatum, ut corpuſculi minutiſſimi ac prope nullius humor, humidum; verè primigenium, quod brevi diſcuſſum ſufficitur alimento, ſemper ſimile, ſemper aliud ut flumen; donec arietantibus incurrentibus noxis, fermentorum vis, duratis partibus exoluta, ætatis lapſu ſenectutem, & à ſenectute mortem afferat. Hujus color an primigeniæ materiæ molli tardaque concoctione, an ab inſtillato ſpiritu cerebri? Certè probabile inteſtinam exagitationem ſanguinis primum effervescentis, à ſpiritu cerebri eſſe oriundam, per quem cor aperte ſubſultat. An illi ipſi ſpiritus quibus cor movetur inſtar muſculi, primam ſanguinis guttam commovent, expanduntque? Certe qui per fibras nervorum, influit, omnia viſcerum fermenta afflatu ſuo perficit ſanguini refundenda à viſceribus, omnibuſque omninò glandularum omnium globis glomeribuſque, iis præcipuè quæ non habent effluvium aliud à venis, qualia ſunt maximè lien, thymus, capſulæque renales. Sed ut initio fœturæ ſtillans à cerebro fermentum in materiam ſanguinis, primam ejus ſtillam effecit, primoſque huic effervescendi dedit impetus: atque ut primos ſpiritus ad motus alternos cordis emiſit, quibus agitata prima ſanguinis ſtilla magis effervesceret, ita per totum vitæ curriculum eoſdem cordi motus, eoſdem ſanguini impertitur, idem fermentum omnibus ſuffundit partibus, diſtributis per innumerabiles nervos ſpiritibus in partes publicas, alimentis concoquendis, procreandæ ſoboli deſtinatas; in ſanguinem & cæteros humores; denique in partes privatas omnes, ut alimentum proprium melius conficiant. Itaque cerebrum ventriculi fermentum perficit per ſpiritus, chylumque parat ſanguini, quem paratum in ſe mutat ſpirituum fermento prægnans ſanguis, traditque cordi circumagendum cum perfecto ſanguine. Eumdem à partibus, quas refecit, refluum, & ea largitione pauperatum, cerebrum novis inſtaurat augetque copiis per lympham trans globoſas glandulas, multis nervulis intertextas, colatam & ſanguini redditam; Idem per ſpiritus, à ſanguine bilem trans jecur colatam atque elaboratam & cæteros humores utiles ſimili ratione ſegregat in reliquis viſceribus, innumeris nervorum myriadibus aut fruſtra (quod vel ſuſpicari nefas) aut in hos uſus diſtributis in eas partes quæ his funguntur muneribus, quarum nullus eſt motus, nec eſſe debuit ad ea munia, quæ melius obeuntur quiete, nec ullo ſenſu melius obeuntur, ſi perpaucas excipias. Immo & idem præſtat ſpiritus in his partibus publicis, quibus ſenſus motuſque neceſſarius eſt, ut ventriculo, cui multo plures pluresque ſunt nervi quam pro ratione motus ſenſuſque neceſſarii, unde fit graviſſimis doloribus obnoxius magno & gratuito diſcrimine, niſi damna diſcrimenque compenſaret inevitabilis & hac ratione ſupplenda annonæ conficiendæ neceſſitas. Idem denique ultimum alimentum eodem pacto perficit in omnibus ſinguliſque partibus, quæ interceptis ſpiritibus ſtatim marcent, frigent, macreſcunt.

Ergò cerebrum omnium corporis functionum principium.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus Bonnet.
M. Ioannes-Baptiſta-Renatus Moreau.
M. Nicolaus Pelletier.
M. Renatus le Comte.
M. Franciſcus Afforÿ.
M. Nicolaus de Iouvancel.
M. Antonius de Caën.
M. Carolus de Laval.
M. Dionyſius Dodart.

Proponebat Lutetiæ PHILIPPUS IGNATIUS SAVE, Montenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1688.